Crac. Stud. Univ. Jag.
Promotiones Philos. Ord.
1637 2 Aprilis

Milleri Ludov. Christoph: Celeusma triumphale. Poezja 2804.

CELEVSMA TRIVMPHALE.

Ingenuæ & honestæ Iuuentuti,

OB

Primam in Artibus Liberalibus & Philos. Lauream publicè in DD. Theologorum Auditorio obtentam.

A

LVDOVICO CHRISTOPHORO MILLERO Głogouiensi, eiusdem primæ Laureæ CANDIDATO.

Honoris & amoris ergò

DECANTATVM.

Anno reparatæ salutis, 1637. Mense Apr. Die 2 Hora 14

CRAC. Typis Matthiæ Andreouiensis.

Illustribus, Generosis ac Magnificis DD.

CHRISTOPHORO ALEXANDRO & IACOBO HIERONYMO ROZRAZEWSKI,

Comitibus in Rozrazow:

DD. ac Benefactoribus Colendiss.

Diligentem Officiorum prõptitudinem.

QVO tempore Philippus Rex Macedonum infesto exercitu Corinthũ inuasurus nunciabatur Illustres ac Generosi Domini, eo tempore Corinthij omnes ingenti consternatione exanimati trepidabant, ac certatim rebus ad defendendam patriam, necessarijs incumbebãt: hoc quidem arma ac tela renouante, illo lapides apportante, alio mœnia instaurãte & muros æuo fragiles ac ruinosos reficiente, illo turres ac propugnacula excitante: & in summa alio aliud quod vsus exigebat exercente.

Quam populi sedulitatem aduertens Diogenes, cum nihil negotij haberet cui vacaret (nemo enim eius opera vtebatur) succinctus pallio cœpit, & ipse dolium in quo habitabat in cranio sursum ac deorsum multo cum studio voluere.

Cumq; à quodam familiari, cur hoc faceret rogaretur:

voluo

voluo inquit & ego dolium, ne ſolus tot laborãtibus ceſſare videar. Quorſum hæc à me dicta ſunt? Horſum Illuſtres & Generoſi DD. vt intelligatis & mihi idem cũ Diogene id ætatis accidere in tanta Pòëtarum turba. Non deſunt enim qui ita in omni genere Pòëſeos exercitati dies noctesq́ue deſudant; vt cæteris parum verſatis nihil omninò aut parum relinquere videantur. In tanta, inquam, ſcribentium multitudine ne ſolus otiũ ſectarer, viſum eſt mihi vel cum Diogene dolium aliquantiſper voluere. Quia verò inter tot ſcribentes ad eiusmodi aliquid attentandum ego me ſentio minus eſſe appoſitum, veſtri Illuſtris nominis pulcherrimis atq; præſtantiſſimis circumdatus radijs tantùm mihi ſplendoris & virtutis polliceri poſſum quantum ad ingenij mei tenuitatem atq; imbecillitatem ſubleuandam ſufficere poteſt. Fateor equidem Illuſtres DD. hanc meam lucubrationem, quæ nullo Rhetorum aut Pòëtarum artificio elaborata eſt, minime dignam veſtro videri conſpectu: Verum tamen virtutis veſtræ hoc etiam eſt ab eo, qui ſe pridem innumeris beneficijs cumulatum teſtatur, grati animi ſymbolum nõ aſpernari. Proinde Illuſtres DD. pro ſingulari veſt. a virtute, qua Iuuenes floretis, benigne accipietis hoc meum erga vos grati animi indicium, placideq́; feretis laboris mei primitias rudi calamo adumbratas, quibus CANDIDATIS gratulari ſtudeo, in hominum conſpectum venire, atq; ab omnibus Zoilorum morſibus tanquam ad maiora honorum Academicorum ſubſellia aſpirantes defendetis. Accipite itaq́; licet exile ſyncerum tamen erga vos grata voluntatis argumentum ab eo, qui licet in viribus omnibus facilè cedat, in deuotione tamen erga vos neminem ſocium admittit. Valete, & noſtris incolumes florete Muſis

Ludouicus Chriſtophorus Millerus Glogouiẽſis.

CELEVSMA.

RVrſus ſecundis auſpiciis dies
Seſe induit fulgentius, aureæ
Iactata fortunæ, benigno
Pro meritis fruitur fauore.
Rurſus canendos Pythia concipit
Exordii faſces, Heliconios
Symplegadum Muſæ Cothurnos
Eridano ſtimulant trophæo.
Sopitus Orpheus cantibus otia
Neglecta, eburnę ſollicitat Chelis
Stymphalidis coniunctæ Amyclis
Pectore vota ferunt Camænæ.
Et quos triumphos Laurigeros fouet
Pallantias pernix, redeuntia
Ad ſigna virtutis decoræ
Promouet, alitibus Gabinis,
Pallas Palatinis legionibus
Vallata doctæ fons ACADEMIĘ.
Depromit optatos honores.
Pandit Ibera decus iuuentæ.
Feſtiua cætu turma, togataq;
Hanc CANDIDATORũ indolis, ordine,
Inſtante, ſtellatiq; nexas
Syrmatis inſequitur corollas.

Quam

Quam nempè regali Diademate
Donare MATER LARGA ACADEMIA
Decreuit, & pridem gustandam
Obtulit Ambrosiam saporis.
Vt noscat Obrizos im[illegible]tarier
Virtutis āplæ, feruida Iaspides,
Sollertiâ inuictâ coruscans
Vt ferat eloquii lepores,
Detersa iam post nubila candidè
Perfecta profecit decori indolis,
Augustat aurato monili
Sceptra, & ouat trabeis QVIRINI,
Lætantur almis æraria plausibus,
Insculpta Olympo gloria personat
Fortuna MERCEDEM LABORVM
Dat, studium, pietas rependit.
Hortatur ad plausus AGANIPPEA
Maurusios cantus, studiosius
Florente festiuus iuuenta
Pollice plectra mouet Apollo.
Dignum, sed ecquis præbet Honorius
Submissus aptis obsequium lyris?
Audebis an subiecta doctæ
Musa precor loquier cateruæ?
Nūm te latet vulgo, noua nūm latet
Te fama, at actam celsius aut labor

 Seruaas-

Seruasse prædurus, verendus
Aut meminisse pudor videtur.
Pallanteis plaudens ACADEMIæ
Cernis Senatus fascibus exerit
Quam GLORIæ culmen propinquum
Conscia lausq; volat per oras!
Ecquid moraris perge Lyrificum
Decenter oratum augur Apollinem
Erato, vt illustret trophæum.
Qui Diadema Tagi venustat
Infestet Alcidem geminum, petat
Memphis Palæstras, adsit Hydaspicis
Eleo largitura pubes
Pegma Palæmonium coronis,
Landata semper Taygeti iuga
Frondosa, nec non Mænala Clio non
Me sperne supplex, tu rogantem.
Cinge caput triuiis Corymbis.
Mos at coronati reduces togæ
Si fluminum Mæandria flexibus
Fors torqueantur monstra sæuus
Fallere seu studeat Dysœnus,
Vt contudit Pænus Trasimenius,
Armis Chorebos, dos Iagellonicum,
Quem munit aduersâ fugabit.
Tela manu trepidumq; Aplestum.

Si taurus

Si taurus Hædi fuſcus, Hyas, ciet
Fluxu Booten, infeſtus Orion aut
Aſſurget, vllusdeuias hic
(Nam bene tutas) habet carinas.
Manſueſcit his portus medium mare
Fractura tum collem caralis freto
Tutum facit fiunt trabali
Stagna modeſta nimis receſſu.
Quos ergo proris cohibentibus,
Quos & reductis claſsibus æquior,
Exſpectat hos ſaluare Chorus
Incolumes placidi Fauonij.
Quæ lætus olim nobile Thracius
Vates ebur tangens, pede contigit
Promiſſus Argis arua palmæ
Thracia pacifero palmæ virentis.
Huc ite felices meliori auo
Vſuri, humus, quod ſeruat in orbe, vel,
Quidcunq; metitur caduca
Gloria, laus id habet caducum.
Sed veſtra nullis obnoxia calculis
Laus viuit æterno viridis bono
Quam Pallas æternat vigore, &
Firmior Herculeo ſerenat.

PRO-

PROGRAMMA.

Stanislaus Lochouius.

Anagramma.

TALIS HONOS LVCIS AVVS?

Parce metu, validis petijt te Athlanta lacertis
Primus honos, renuis? nec fugiturus abis.
Primus habes LAVRVM, primos fert LAVRVS honores,
Quos capere Alcides spernis habebis Atlas.
Tu Pollux, Castor, tu Christi miles haberis,
An Musa immerito milite gaudet honos?
Robore constat honos, Polluce serenat in annos,
Sorte es TALIS HONOS robore LVCIS AVVS.

Reu: D. ADAMO BYDLONIEWICZ Sandecio.

Cynthia nocte diem decorat sol luce vicissim,
Lux ergo amborum fœdus habebit idem?
Lumen vtrumq, gerit, discordi at fœdere lucent,
Tu dispar primo es fœdere, lumen habes;
Scilicet vt Martis dubia est sic alea sortis,
Fœdere primus ouet, lumina sortis habe.

MAR-

IOANNI GARNVCHOWSKI.

QVem Parnaſside Palladis
Exornare laborat Rhodope, minas
Nec Leucomata mentis ab
Horret, ſed placido lumine purpurat,
Gyris mille trophæaque
Fac millena reuoluas, tibi cum bona
Qui fauſtis decorans bonis,
Qui dum Solſtitij fulget amictibus,
Cingens Laureola caput
Qua frons cincta ſubuſtis vſq, recentior
Semper temporibus viret,
Faſtis poſteritas dum pia geſſerit.
Palmam culta vigoribus
Hanc miretur apertiſq; decoribus.

IOANNI LISOWIC.

AVrea meſsis opes promit ſub meſſe repoſtas,
Nam ſcilicet ſpem neſcit ager validam
Fallere Mæonidum patiens, quod nouit aratri
Laus Cæſaris, quem pro Lycæo tulerat.
Sed nec Parnaſsi genio, tua ſemina perdis
Quin imò iam meſſe certior es,
Præmia meſsis amat, non te tua præmia fallent
Modo tuis, te metiaris, pedibus.

IOAN-

IOANNI ROSZOWSKI.

CAndor habet famæ memori sub corde sepultæ
Quod de te patriæ, nomen habere cupit.
Tu patriæ renouas præclarum nomine nomen
Hæc quid agit? dulcis flos repubesce magis.
Flos repubesce magis, mihi tu subiungis honores,
Quin magis, inde tibi surgit honoris apex.

STANISLAO ZBIEGNIEWICZ.

DÆdaleo struxit sibi Gnosius arte colossos,
Dædaleâ felix vteris arte pari.
Arte cothurnatus sequeris monumenta Gothunni
Arte pari celebras nunc Helicona tibi.

MATTHIÆ CZASTARA.

LAtoniæ dies te
Præterit, recens recessit
Puniceæ rosæ flos
Crispat abditum senili
Vultum nidore ruga
NIREAE ramen Neæram
Constantiæ fidelem
Dum libet fidem renasci
Multo labore plumam
Floris induas virilem
Sic flosculus iuuencæ,
Flos virilis, es, pudebit
Non te virilis æui
Non laboris, at iuuabit.
Virtute nam renasci
Est coli decore laudis.

ANDRE-

ANDREÆ GARGVLOWICZ.

Astra Polumq; graui cum tentas æquore paruus
Cum magno haud labi posse Gygante putas?
Et meritò: ars magnum nam te Merlinia fecit
Fortius & Phrygio robore robur habes.

IACOBO ROCHOWIEC.

FVlget procax repulsæ egestas noxiæ
Honore, quem virtus parit,
Et pauper es, tuamq; si solertiam
Augusta paupertas premit
Hæc sumit, aut refert secureîs, ciuicæ
Paterna non aut bona.
Est præpotens tamen suis immeritis
Virtus recludens emori
Tentat Polos via negata cælitum,
Humumq; spernit tetricam
Fidelis in silentio, tuta æthere
Serenat huic merces sua
Contentus esto pauper, & solertia
Opimus es de paupere.

MARTINO WNOROWSKI.

PRædia rara colis, comes est queîs viuida virtus
Quæris? dic melius quid pietate putas?
Iugera sunt tibi, sunt sacræ pietatis in area
Condita, quæ tamen hæc? est tua simplicitas.
Es simplex, animo patiens, pietatis Orestes
Hæc tria, si seruas, Hercule maior eris.

BARTHOLOMÆO IADAMOWSKI.

GRata in mente sedet probitas tibi, prouida lucri
Hæc fallit lucro prouida propositum.

LAVRVM proposuit, frueris cun veste togatus,
Ista probum iuuenem te facit, ista virum.

MARTINO KOCHANOVIO.

OEdipodes tibi sunt quicunq; ænigmate soluunt
Ingenioq́; vident, qui tua facta suo.
Oedipus vt verè possis facundus haberi
Ad quid cæsariem dolia LAVRVS amat?
Dic, me cæsaries frondosa labore perennat
Atq; Mineruales dat mihi Laurus opes.

ALBERTO WILKIEVVICZ.

ORdine te tardum sors fecit, sorte rependas
Nam potis es primum sorte tenere locum.
Sors placet ingenii, placeat propensa voluntas
Sponte places proderis. Sorte valere iuuat.

ALBERTO WOLSTINIO.

CLaudicat è sociis tuus vltimus ordo nihil sed
Vltimus hic precii demit abinde locus.
Non semper Ganymede prior Vulcanus habetur,
Sorte tamen laudis gaudet vterq; pari.

MARTINO WALKOWICZ.

MEmphiniū date nunc reduces Helicona ſororeS,
Approperet gracili Calliopæa grad V.
Rexit ebur primus Tyrinthius, alter & ome N
Thracius ingerit hic ſolus vtrumque ſib I
Icarij caſus meminit, cautus veſtigia torpe T
Nam ſtat in ingenio præmeditandus amo R.
VRANIæ largæ celebris, quem pallet aren A
Suauem cuius erat ſæpè perita ſale M

MICHAELI ZALESKI.

VIx vix præſtiterit Muſa tibi
Id, vix augur Apollo dederit
Quod dos grande ſupellectile ſat
Dat Larga Sophiæ, quid gemini,
Piſces, quid Caper in ſideribus
Largiri poterant ingenij.
Non Vrſus neque Cancer, Leo, nec
Nouit Nablia deflectere, quin
Criſpatis potius nupſerat hinc
Quiuis crinibus, Arctoniadum.
Humectata quibus frons Sophiæ
Dotes nacta, Polorum alta petat.
Aſtris nam dominatur ſapiens
Inſta dote, ſapis ſi, aſtra petes.

PETRO WROBLOWSKI.

QVanta Timauêi memoratur palma trophæi
Tanta trophæa tibi LAVRVS amica dabit.
Tu dare pollicitus nobis es præmia LAVRI
Das ſed propter te, præmia LAVRVS amat.
Præmia LAVRVS amat, ſed amant tùm præmia LAVRũ,
Des nobis horum quidquid, vtrumq; tuum eſt.

PETRO PIEROSZKOWICZ.

EOos inter triplici virtute lapillos
Purpura facie,
Dicitur eſſe lapis virtutum ſymbola formans
Proximus huic comes eſt
Nobilis & fuluo lucens fùlgore Pyropus;
Moribus ille tuis,
Conuenit. Et nomen iuncto cognomine ſignans
Sorte pari fruitur.
Quis dubitat gracilis tibi quam ſit gratia linguæ
Dulce ſupercilium
Quam tibi ſit Sophiæ, quam grata modeſtia pacis?
Iugera ſortis alas,
Te manet æternum cognomine & omine nomen
Sicq; Pyropus eris.

ALBERTO NOWIEYSKI.

QVam grate nimium tepet
Amphryſus fluidis ructibus Hadricus,

Tam grato eloquij frequens
Stillat nectare sermo tuus Aglaius
Hoc grandi imbre Thalia te
Magnum Thesea facundat, Aristides
Sis ne à sanguine degener,
Sed clarum assecla nomen capias gener;
Suaues lude sales labor
Te suauem faciet, suauis erit q; laus,
Quam de te referet tua
(Arctoo) patriæ spes bona, sæculo.

CHRISTOPHORO SVZLINSKI.

AGrippa non passim Iugurthinâ tulit
Victorià tantùm decus.
Nec Hannibal victor peremptis hostibus
Tales triumphos concinit,
Datura quales, est tibi laus gloriæ
Si tanto honori institeris.
Labore quo te plenior post Tripodas
Semper manebit claritas.
Sodalis hac constans labor si gaudeat,
Gaudebis & tu clarior.

ALBERTO SKAWIENSKI.

MVtat terra vices, redeunt noua gramina campis,
Et noua, qui nouus est, vlmus aratra petit.

Moribus hinc iuuenis mutatis tecta subintras
Cuius Pieridum pectora tangit amor.
Non referet fructus virides tot rure colonus
LAVREA quot tibi de fertilitare dabit.
Frugiferā, tamen vt multum prodesse putaris
Multum de studio pone laboris, habes.

SIMONI ZYMANKOWICZ.

SÆpè mouet mentem tristis fortuna sinistram
Vnde nec aut aliis, aut tibi mente places.
Cinge caput LAVRO tristis fortuna recedet,
Vt facilè placeas, omnibus, illa dabit.

HYACINTHO CIESZYNSKI.

NOmen floris habes nec absq, grato
Gaudes nomine, floridum notat te
Florum gratia, flore floreas si
Quo nunc floridus es; magis sereno
Florebis, pylios diu per annos.
Nobis nomine, florens tenella
Es ætate, labore duc aratrum.
Flos, & splendor eris iuuencus, agros
Si sub flore colas, facis & serenus
Flores omnibus, ergo floreas flos.

IOAN-